

dicatur laudatissimo *Dn. Reiselio.* At enim verò nihil hīc spontanei reverà subesse per se patet, & inferius ex causarum deductione amplius patebit, externas ubique causas ascendendi ac descendendi necessitatem illam imponere; hoc solo discrimine, quòd in Stutgardiano experimento non ita statim obviæ, aut applicatione suâ saltem non ita pendeant ab humano consilio & arbitrio, ut in duobus cæteris.

*VI.* Quamvis in Florentino facile procurari possit ascensus ac descensus bullæ æquè spontaneus, & humanâ ope vel industriâ, ubi paratum semel fuerit instrumentum, haut amplius indigus, quam in Stutgardiano; id quod hoc pacto obtinuimus: Posteaquam in hoc postremo Solis calori diurno exposito bulla C ad summam aquæ superficiem ascendisset, occlusimus orificium vasculi obturaculo ligneo multum incerato & vesicâ suillâ insuper circumligatâ sollicitè communivimus, ut experimenti Florentini jam indueret vultum, hâc unâ intercedente differentiâ, quòd in Florentino vasculum aquâ repleatur ad summum fere, teste *Schotto* c. l. in hoc nostro autem pars ejus suprema haut exigua non nisi aërem exire jam prohibitum habebat. Ita verò paratis rebus observavimus, relicto vasculo in eodem Sole, post intervallum temporis bullam antea supernatantem jam fundum, uti speraveramus, petiisse; in frigore nocturno verò relictâ eadem machinâ, altero mane bullam supremum repetiisse locum: id quod per vices nunc ita continuat haut injucundo spectaculo, quo juxta se statutis hoc nostro & Stutgardiano, in hoc de die ascendere, descendere noctu, in illo contrâ de nocte ascende-re, descendere interdiu bullas videre licet.

Phæn. V.

Phæn. VI.

*VII.* Attamen, ubi clausum hermeticè fuerit vasculi non pleni orificium, nec obturatum solùm eâ, quam modo descripsimus ratione, nihilominus, more Stutgardiani adaperiti, bullam interdiu ascendere noctuque rursum descendere non solum Amicus aliquis ab Excell. Reiselio recens advena, testisque oculatus, constanter affirmabat, sed ipse *DN. REI-SELIUS*